Oprawiono w r. 1935.

pocz. XVI w. – drukarz niemiecki

Antiquitates Romanae

Pomponii Laeti: Libellus de Romanorum Magistratibus. Ejusd: de Sacerdotiis Ro. et de diversis legibus Ro.

s. l. et a.

POMPONII

LAETI LIBELLVS DE ROMA-
NORVM MAGISTRATIBVS.

EIVSDEM DE SACERDOTIIS RO.

EIVSDEM DE DIVERSIS LEGIBVS RO.

Pomponius letus vir singulari facundia ac quam eximia ...

POMPONII

LAETI DE ROMANORVM MAGI- stratibus, sacerdotijs, iurisperitis, & legibus Ad M. Pantagathū libellus.

DE REGE.

Romulus.



Vrbis Romæ & impij Romani cōditor Romulus, Marte genitus fuit. Is postquám omnium consensu præfuit: legem tulit, ut nemo regnum aut magistratum iniret, nisi auctor fieret deus, ipseq; per auspicia confirmari uoluit. Vocabulum a regēdo deductum est. Multitudinē omnem Romulus diuisit in partes tres, quas tribus appellauit, & singularū tribuū duces tribunos nominauit, & ipsas tribus in triginta partes diuisit, curias dixit: quoniam earum cura respublica sententiam expediebat, & inde latæ ab regibus quædam leges Curiatæ denominatæ sunt. Curiarum præfectos curiones dixit, & Curionū decuriones. L. Papirius, qui fuit tempore Tarquinij superbi, latas leges in uolumina redegit: Vnde iuris ciuilis Papiriani nomen deducit. Rex sacrificijs, templis, & omni cultui deorū, & legibus, & moribus præerat, magnarum causarum iudex, minorum uero causarum Senatum uoluit esse ipse Romulus iudicem.

Tribus. Tribunus. Curiæ. Curiatæ LL. Curiones. Decuriones. Ius ciuile. Papyriani.

DE MAIESTATE REGIS.

ROmulus ut haberetur honor ac uenera-
Purpura tio regiæ maiestati, purpurea usus est ue-
ste, duodecim legit, qui succinctis uesti-
bus expediti multitudinem uirgis coer-
cerent, eos alligandis hominibus, ut C.
Lictores Valgius meminit, lictores appellauit,
Fasces ut est lictor colligamanu. xij. & hi fasces
Secures ante regem ferebant, ac totidem secures, quæ signa puni-
Celeres endi erant, legit & regij corpis custodes milites ccc. quos
à promptitudine, id est celeritate celeres appellauit, & eo-
Tribunus rum ducem tribunum celerum. Cuius erat secũdus post
Celerum regem locus. Valerius Antias ait, à primo eorũ duce cui
Celer nomen fuit, celeres nominatos. Hij erant equites
Romani, qui postea expugnato Trassulo oppido Tusco
Trossuli rum, ut Iunius scribit, Trossuli dicti sũt. Sella usus est cu
Sella curulis ruli, & locum eminentem in parte fori ædificauit, ubi iu-
ra daret.

DE SENATORIBVS.

Senatores SEnatores à Romulo electi centũ aut à nobilitate ge-
centum neris, aut ab ætate, aut à sapientia: ut apud Athenas
Patres patritij nomen cœpere, idem patres, & eorum familia patri-
Multitudinis tia, idem multitudinis patroni, id est defensores erãt. Hos
patroni appellabant peregrini principes in ciuitate. Qui post hos
Princeps ciui. centum senatui ascripti fuere, Patres conscripti appellati
Patres conscri. sunt. Quod uero ipsi constituerent ratũ erat, Senatuscon
Senatuscõsultũ sultum dixere, & tunc esse cœpit cũ plebes difficulter con
Plebiscita ueniret, nam cum à patribus per discordiam secederet, iu
ra sibi constituit, quæ plebiscita uocantur.

DE POTESTATE SENATVS ET PLEBIS.

REx ad senatũ referebat. Senatus de omni re cogno-
scebat, & suffragium ferebat, & quod uisum pluri-
bus fiebat, populus magistratũ creabat, leges scie-
bat, & de bello decernebat.

DE INTERREGE.

SPacium temporis à defuncto rege usq; ad creationẽ
sequẽtis, Interregnum dicebatur: & qui preerat cum *Interrex*
regia potestate & insignibus interrex erit.

DE DVVMVIRIS.

TVllus Hostilius rex duumuiris potestatem fecit iu- *Duumuiri*
dicandi de capite M. Oratij, qui solus ex trigeminis
bello Albano remanserat, & reus accersitus, qđ ex-
tra portam Capenam obuiam sororem interfecerat, quæ
maritum suum unum ex Curiatijs cæsis ducendo uicto-
riam & libertatem populi Romani ægreferre uidebatur,
sed absolutus à populo fuit, ꝑpter patris lachrymas, nam
dixerat Tullus, Si prouocarit prouocatione certaret. Et
hæc fuit prima apud populum prouocatio, & hoc primũ
de rebus capitalibus iudicium.

DE PRAEFECTO VRBIS.

ROmulus unum elegit, quem urbanis negocijs præ-
fecit, ut Dionysius ait, hunc præfectum urbis fuis-
se satis constat. Longo post tempore tantum sibi ur *Præfectus urbis*
bis præfectura uendicauit, Cæsarum temporibus, ut cri
mina omnium in urbe cognosceret, & demũ cum Cæsa-
res ab urbe abessent, præfectus uelut alter Cæsar impera-
bat de rebus oĩbus, quæ ad urbem pertinebant, censebat.

DE PRAEFECTO PRAETORIO.

PRæfectus prætorio sub Cæsaribus disciplinæ mili- *Præfectus præ-*
tari præerat, eius postea auctoritas aucta erga Foren *torio.*

ses causas: ubi imperium declinare cœpit, nomen mutauit, magister stabuli dictus, cum antea sub regibus tribunus scelerum fuit: Et sub dictatore, magister equitum.

Magister stabuli.
Magister equitum.

DE PRAEFECTO ANNONAE.

Præfectus annonæ.

Dicunt quidā, Annonæ præfecturā habuisse initiū quindecimo anno post exactos reges, Appio Claudio Sabyno, & P. Seruilio Prisco conss. sed uerius cōstat āno decimooctauo T. Geganio, P. Minutio conss. quo tempore Annonæ maxima charitas fuit, missiq; in Siciliam fuere P. Valerius, & L. Geganius pro aduehendo frumento. Volunt alij, L. Minutium fuisse primū Annonæ præfectum, satisq; constat, non nisi ex indigētia frumenti hunc magistratum creari.

DE PRAEFECTO VIGILVM.

Præfectus uigilum.

Cum urbis ædificia sæpenumero incēdio flagraret, diuus Augustus quinq; cohortes, ut inuigilarēt urbi, disposuit: & singulę duas regiones custodiebāt, tunc enim erant regiones quatuordecim. His quinq; cohortibus præerat præfectus uigilum, apud quem cognitio erat omnium scelerum, quæ nocturno tempore fieri solent, præsertim de incendio & latrocinio.

DE PRAEFECTO IN MILITIA.

Præfecti alarū & cohortiū.

Singulorum ordinum in militia aliquando præfecti creati sunt, hoc est quod sæpenumero præfectis alarū & cohortium legimus, hoc scilicet erat uoluntate ducis, id est exercitus imperatoris aut regis.

DE PRAEFECTO LEGIONIS.

Præfectus legionis.

Præfectus legionis absentis legati uicem tenebat, parebant ei tribuni, hastati, pilani, cēturiones, & deniq; totus exercitus: arma, equi, uestes, disciplina, ius, an-

nona & ipsius cura erant, puniebat, soluebat. eligebat autem iustus, diligens, sobrius, cui necesse erat & alium titulum habere: ipse etiam erat comes primi ordinis, quē primipilum dicunt, qui centū & sexaginta militibus præest.

DE PRAEFECTO CASTRORVM.

Præfectus castrorum.

Castrorum præfecto curæ erat, castrorum positio, ualli, fossæ, tentoria, tabernacula, tormenta bellica, & cetera talia, item egri & medici: his eligebatur peritissimus, ut alios edoceret.

DE PRAEFECTO FABRORVM.

Præfectus fabrorum.

Artifices qui sequebātur castra, ut fabri lignarij, carpentarij, ferrarij, &c. qui ad fabrilia officia deputati erant, præfecto fabrorum parebant, his eligebatur idoneus, & qui sciret bene castris prouidere, & præsertim in expugnatione urbium subterraneos cuniculos facere, & alia similia.

DE CONSVLIBVS.

Consules.

Pulsis regibus, auctore L. Iunio Bruto tribuno celerū consulare imperium factum est cum omni regia potestate & signibus. Consules dicti duo à consulendo, id est prouidendo creati, sunt comitijs centuriatis à præfecto urbis, ex cometarijs Seruij Tulli, & hi fuere L. Iunius Brutus qui Tribunus celerū erat, & L. Tarquinius Collatinus, Anno ab urbe condita ccxliiij. Inde noui consules urbem lustrarunt, & primi iurarunt neminem Romæ se passuros regnare, & idem fecit populus. Apud eos summa totius imperij erat, hi senatum populumq; per accensos & præcones cogebant: hi exercitus ductabant, ab eorum magistratu numerus annorum signabatur, prouinciæ consulibus describebantur, penes quos, ut inquit

Accensi & præcones.

Pomponius, Summum uti esset lege rogatũ est, & ne per
omnia regiam potestatem sibi uendicarent: lege cautum
fuit, ut ab eis prouocatio esset, neue possent in caput ciuis
Romani animaduertere iniussu populi. Solum relictum
est illis ut cohercere possent, & in uincula publica duci iu
berent.

DE DICTATORE ET MAGISTRO EQVITVM.

ANno xij. ut alij uolunt, ix. post actos reges T. Lar-
gio Flauio. T, Cloelio Sicelo consś. ut alij scribunt,
T. Lar. Flauio, & L. Postumio Cominio, cũ. xl. La
tinorum urbes auctore Octauio Manlio coniurassent in
Romanos, T. Largio à collega Cloelio & à Senatu Po. q;
Dictator Ro. creatus dictator fuit. Dictatura summi magistratus
fuit, habebaturq; in summo periculo ultimũ remedium,
duæ secures dictatorem præcedebant, ab eo ad populum
prouocatio non erat, & ei capitis animaduersio data est.
Magister equitum. Sex mensibus durabat, designabat sibi dictator magistrũ
equitum, qui primus fuit SP. Cassius.

DE QVAESTORIBVS.

ROmulus ut Iuni. libro. vij. scribit, suffragio populi
quæstores binos creauit: alij uolũt Numam Pom-
pilium. Sed uerius constat de Tullo Hostilio, Quæ
stores ab inquirẽda & seruãda publica pecunia dicti sunt
Questores duo Capitalibus rebus preerant, ciues Romani capite punire
his licebat, Prouincias sortiebantur, primum patritij crea
ti, postea indifferenter patritij & plæbei. & Varro sic ait,
Quæstores à quærendo qui conquirerent publicas pecu-
nias & maleficia, quæ triumuiri capitales nũc conquirũt,
& Pædianus ait. Senatoris prima administratio erat quæ
storem fieri, prouinciæ curam gerere, pecuniæ publicę in
diuersos usus erogandæ. Cornelius ait. Repetita lege cu-
riata à Iunio Bruto post exactos reges quęstores duo crea
ti, qui

ti, qui rem militarem comitarentur, Valerius Potius, &
Aemilius Mamercus. Duos deinde addidit, qui res urba
nas curarent, Mox cũ stipendiariæ prouinciæ fierent, du-
plicatus numerus: post uero Syllæ legem creati xx.

DE TRIBVNO PLEBIS.

ANno decimoseptimo post fugam Tarquiniorum,
Aulo Virginio Mõtano, & T. Vetusio Geminio
consś. plebes nexu grauata, & sepenumero decepta
seditionem fecit, & tandem Sicinio duce in sacrum mon-
tem secessit, qui distat ab urbe tribus mil. pas. trans Anie-
nem: Piso auctor est in Auentino secessionẽ plebis factã
esse, & cum illic plebes arma non sumpsisset: Mons sacer *Mons sacer.*
putatus est, unde nomen monti impositum fuit. Hinc
Posthu. Cominio: & SP. Cassio nouis coss. decernẽtibus
decem legati eliguntur ad plebem, quorum primus fuit
Menenius Agrippa, qui oratione sua plebẽ patribus con *Tribunitia potestas.*
ciliauit, mense Septẽbri petiuit plebes ex suo corpore ma
gistratum creari. Tribunitia potestas hæc fuit, creati tri-
bubus fuere tribuni qnq;, L. Brutus, C. Sicinius, C. Lici-
nius, P. Licinius. C, Iusilius Ringanus. Quidã duos scri
psere, C. Liciniũ, & L. Albinũ, hæc fuit reipu. pestis, hinc
ciuile nefas ortum habuit, & quemadmodum propter se-
ditionẽ esse cœpit seditiosus magistratus, semper fuit con
sulare ius imminutum, consulibus tribuni nõ parent, cũ
cæteri magistratus pareant. Sacrosanctos enim uoluit su *Tribuni sacrosancti.*
os tribunos uulgus, hi sedebant primi ad limen, & acta se
natus modo probabant, modo scindebãt. Dies uero quo
tribuni electi fuere, fuit quarto Idus Decembris, & in lo-
co ubi castra posuerunt, erecta ara Ioui soluenti metum.
Tribuni dicti sunt, ut Pomponius ait, quod tunc in tres *Tribuni unde.*
partes populus diuisus erat, aut à tribuum suffragio, quæ
(ut Dionysius ait) tunc quatuor fuere. Legimus in histo

rijs Diodori, Tribunos quatuor creatos C. Sicinium L. Metorum M. Duilium SP. Attilium, Appio Claudio & T. Curtio consſ. & post, anno uicesimoquinto tres tribuni cõsulari potestate creati, M. Genutio Agrippa, & Curtio Chilone consſ. tribuni fuere M. Sempronius L. Attilius Longus T. Quintius, & post annos sex totidem tribuni creati sub eadem potestate, Manius Emilianus, Mamercus Clulius, L. Quintius. post quatuor annos q̃tuor creati, M. Minius, Q. Sotius, Seruilius prætextatus, Cornelius coſſ. Sequẽti anno. iij. M. Fabius, M. Fluuius, Lucius Seruilius, & sequenti anno L. Furius SP. Pinarius, & post annos septem, quatuor, C. Furius, T. Quintius, M. posthumius & Cornelius. Hos omnes tribunos consulari potestate fuisse constat.

DE TRIBVNIS MILITVM.

ANno ferè septuagesimo post actos reges, sequẽti anno, postq; Tribunitia potestas consulari iure cessit oratione Canullei, tres è patritijs creati tribuni militares, consentiente plebe, omnem consularem auctoritatẽ habuere. Et ij fuere, L. Furius, L. Clœlius Corinthius, A. Sempronius Atratinus. Sequẽti anno, quatuor, P. Lucretius, C. Seruilius, Menenius Agrip. SP. Veturius. tertio anno, quatuor, A. Sẽpronius, M. Papyrius, Q. Fabius, SP. Nautius. quarto an. duo, P. Cornelius C. Fabius. quinto an. iiij. L. Tube, C. Cornelius, C. Valeri cęso, M. Fabius. hij creabant ex patribus & ex plebe, sexto an. ius imperij Romani ad consules redijt, qui fuere, M. Cornelius, L. Furius. Officium autem tribunorũ militum, ut Marcellus de re militari scribit: erat in castris milites continere, & ad exercitationem producere, uigilias circuire, rei frumẽtariæ præesse, querelas cõmilitonum audire, ualetudinarios inspicere, quoniam is qui tali officio præest,

Tribuni militũ.

& dare & obseruare castrẽsia omnia debet. Pædianus ait, Tribunorum militarium duo genera: primum eorũ, qui Rufulci dicuntur, & in exercitu creari solent. Alij sunt comitiati, qui comitijs designantur.

Rufulci.
Comitiati.

DE AEDILIBVS.

PLebes ubi è sacro monte ad urbem redit, à patribus impetrauit, ut liceret sibi alios magistratus creare, q tribunorum ministri essent, qui & ædes sacras & priuatas procurarent, & qui annonæ præessent. Creauit igitur ædiles quatuor, duos qui ab solio eburno curules dicti sunt, regijs utebatur insignibus, & ornati purpura, curam sacrificiorum & ludorũ habebant. Scio & à quibusdam scriptum esse ædiles duos ex patritijs creatos curules eo tempore, quo primus ex plebe cõsul factus est. Sed credibilius est, ut ijdem intelligãtur ediles. Meminit Dionysius libro sexto, & alios duos creauit plebes prepositos annonæ, quos aliqui putãt à diuo Iulio constitutos & nominatos Cereales. Aedilium curulium potestas adeo creuit, ut ad eos summa rerum & maiestas consularis imperij uenerit.

Aediles curules
Cereales.

DE CENSORIBVS.

CVm census auctus esset, & consules nõ sufficerent, duo creati fuere, ad quorũ censionẽ, id est arbitrium censeret populus, & ob id censores appellati, & primi fuerunt C. Papyrius, & Sẽpronius, M. Geganio Macerino, & T. Quintio Capitolino consſ. creabant autem quinto quoq; anno, quod tempus lustrum appellabatur. Pædianus Asconius ait, censores quinto quoque anno creari solebant. Hic prorsus ciues sic notabantur, ut qui senator esset, eijceretur senatu, qui eques Ro. equum publicum perderet, qui plebeius, in centum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriæ

Censores.
Lustrum.

ſuæ: Sed ad hoc non eſſet ciuis tantummodo, ut pro capi
te ſuo tributi nomine æra pręberet. Iidem completo quin
quēnio luſtrabãt, & taurilia ſacrificia de ſue, oue, thauro
faciebãt. Ciuiũ Romanorũ primus cenſus factus eſt ſub
Att. amplitudinem P.R. Seruio Tullo lxxxiiij. militum. & Dcc. Secundus cenſus
tertio anno poſt fugam Tarquiniorum, C. Valerio publi
cola, & T. Lucretio conſſ. Inuenta puberum Romanorũ
Cenſus ui. ccc. xxx. milia. Tertius cēſus anno xij. T. Largio Flauio,
Q. Clœlio Sycelo conſſ. Idē T. Largius dictator cenſum
renouauit. Inuenta puberum Romanorum C. L. milia,
& Dcc. Ann. xix. id eſt. ij. poſt tribunitiam habitus à con
ſulibus cenſus quartus, inuenta ciuium Ro. c. lxi. milia
& Dcc. Anno xxxvi. Seruio Seruilio, & A. Verginio cō
ſulibus habitus cenſus, inuenta ciuiũ puberũ plura ꝙ̃ cen
tum & decem milia, & cæterorum trecenta & xxx. milia.
Anno. xxxviij. A. Mãlio & L. Furio conſſ. habitus cēſus
ſextus, & ciuium Ro. incertus numerus, ſupra annũ lx.
ciuium numero, ut diximus, creati cenſores fuere.

DE DECEMVIRIS.

ANno ab urbe condita ccc. ix. Decem uiri pro conſu
Decem uiri. libus creati ſunt, & tertio anno depoſiti libidine Ap
pij Claudij, qui Virginiã ſtuprauit, Decem uiri hij
fuerunt, Appius Claudius Regilianus, T. Genutius, P.
Sextius. SP. Venturius. C. Iulius. A. Manilius. C. Sulpi
tius. P. Curiatius. T. Romulus. SP. Poſthumius Calui
nus, hij ex Athenis leges tulerunt in. x. tabulis. Datumq́
eſt eis ius ſummum, à quibus prouocatio non erat, & da
tum etiã uti leges corrigerent & interpretarentur, ſequen
ti anno duas tabulas addiderunt, & inde appellatę leges
L. xij. tabularũ. xij. tabularum, quidam uolunt non eburnis, ſed æneis ta
bulis impreſſas leges pro roſtris poſitas. Quarũ ferenda
rum auctorem fuiſſe decemuiris Hermodorum Epheſiũ,

exulantem in Italia, ſcribunt, ut Pomponius refert. Dio
nyſius pro Curiatio Oratium dicit, ſequenti anno decem
uiri rurſus creati, Appius Claudius. Q. Fabius Vibola
nus. M. Cornelius Maluginenſis. M. Seruilius. L. Minu
tius. T. Atronius Merenda Manilius Roboleus. Q. Api
telius Ceſo Dralius SP. Oppius Cor. apud Diodorum
ſunt. C. Serg. & P. Manius. Tertio anno idem præfuere,
neq́ ſenatu, neq́ plebe ſuffragia dãte, & ideo ui magiſtra
tum obtinuerunt.

DE PROCONSVLIBVS.

POſtumio Albo, & S. Fuſco conſſ. bello infeliciter cō
tra equos geſto, proconſul creatus eſt T. Quintius,
& is primus in eo magiſtratus fuit, eum ſex lictores
præcedebant, cætera omnia habebat uti conſules, & inde
ſtatutum eſt, ut qui conſules uno anno fuiſſent, ſequenti *Conſules.*
proconſules eſſent, deinde procōſules ad prouincias mit
tebantur, & ſinguli ſingulos legatos habebant, qui admi
niſtrationi præſtarent auxiliũ. Proconſul poteſtatem ex *Legati Proconſules.*
ercet in ea prouincia tantũ, quæ ei tradita eſt uel decreta,
niſi uocaretur in iuriſdictionem uoluntariam. Apud pro
conſulem, ut Martianus ait, ſeruorum manumiſſio fieri
poterat, & adoptio. Apud proconſulis legatũ nemo ma
numittere poteſt. Sub Cæſaribus diſtinctæ prouinciæ.
Nam conſulares ſub ſenatu Po. Q. Ro. erant, proconſu
lares ſub Imperatoribus.

DE PRAETORIBVS ET DECEMVIRIS ET curatoribus uiarum, & triumuiris, & quinqueuiris, & centumuiris.

EO tempore quo pertinacia tribunorum plebis, quæ
Romæ ſine conſulibus quinq́ annis præfuere, L. Se

stius ex plebe consul creatus esset, patres præturam, nouũ magistratum, SP. Furio Camillo, M. filio dederunt, hic primus prætor urbanus fuit, à præeundo prætor nominatus est. Prætoris insignia, sella curulis, trabea, lictores sex, & cætera consulum insignia. Pomponius in hæc uerba ait., Cumq; consules auocarentur bellis finitimis, necq; esset qui in ciuitate ius reddere posset, factũ est ut prætor quoq; crearet, qui urbanus appellatus est, eo quod in urbe ius redderet. Post aliquot deinde annos non sufficiente eo prætore, quod multa turba etiã peregrinorum in ciuitatem ueniret, creatus est & alius prætor, qui peregrinus est appellatus, ab eo quod plerũq; inter peregrinos ius dicebat. Deinde cũ esset necessarius magistratus, qui hastæ præesset, decemuiri litibus iudicãdis constituti sunt. Eodem tempore constituti sunt quatuoruiri, qui curam uiarum haberent. Et tresuiri monetales, æris, argẽti, auri flatores, & tresuiri capitales, qui carceris custodiã haberent, ut si animaduerti oporteret, interuẽtu eorũ fieret. Et quia magistratibus uespertinis temporibus in publicũ esse inconueniens erat, quinqueuiri constituti sunt cis Tiberim & ultra Tiberim, qui possent ꝓ magistratibus fungi. Deinde prætores creati sunt numero captarum prouinciarũ qui partim urbanis rebus, partim prouincialibus præessent. Deinde Cornelius Sylla quæstiones publicas constituit ueluti de falso, de patricidio, de sicarijs, & prætores quatuor adiecit. Ab honore qui præture habebatur ius honorarium appellatum, quæ prætorum edicta erant, honoratus dictus.

Prætor urbanus. *Prætor peregrinus.* *Quatuoruiri* *Tresuiri monetales.* *Tresuiri capitales.* *Quinqueuiri* *Ius honorariũ.*

DE PROCVRATORE CAESARIS.

PRocuratori Cæsaris omnis res familiaris commissa erat, etiã quicquid is egisset ratum erat apud Cesarẽ, & penes hunc magna erat auctoritas.

Procurator Cæsaris.

DE IVRISPERITIS.

PApyrius primus apud Roma. regias leges in unũ contulit. Ad hoc Appius Claudius Regilianus decemuir, cuius maximum cõsilium in duodecim tabulis conscribendis fuit, post hunc eiusdem familiæ Appius Claudius Cẽtumanus, qui uiam Appiam strauit, & aquam Claudiam induxit, & de Pyrrho in urbem nõ recipiendo sententiam tulit, actiones scripsit, & primum de usurpationibus, qui liber nõ extat. Idem R. literam inuenit, unde Valesi Valerij, & Fusij Furij dicti sunt. Fuit post hos maxime scientiæ Symphronius, cognomento Cata. Deinde C. Scipio Nasica optimus à senatu iudicatus, cui publice domus in sacra uia data est, quo facilius consuli posset. Deinde Q. Mutius, qui ad Carthaginẽses missus est legatus, cum essent duæ tesseræ positæ, una pacis, altera belli, arbitrio sibi dato utrum uellet, referret: Romam utrãq; sustulit, & ait Carthagineñ. petere debere, utrum mallent accipere. Post hos fuit Tiberius Coruncanus, qui primus profiteri cœpit, cuius tamen scriptum nullum extat. Deinde Sex. Elius & frater eius, P. Elius, ambo cõsules, Ennius Sex. Elium Catũ appellat. Deinde Cato portiæ familiæ princeps Tusculo genitus, cuius libri extant. Postea P. Mutius, & L. Brutus, & P. Manilius ius ciuile fundauerunt. Ex his Mutius cõsularis fuit, & x. libros reliquit, Brutus prætorius vij. Manilius consularis & põtifex maximus tris. Ab his, ꝓfecti sunt P. Rutulius Rufus cõsul Romæ & Asiæ, ꝓconſ. & P. Verginius, & Q. Tubero ille stoicus Pãsæ auditor & cõsul, & Sex. Pom. Cn. Põpeij patruus. Eodẽ tẽpe Celius Antipater, q̃ plus eloquẽtiæ q̃ sciẽtiæ iuris operam dedit, & L. Crassus Mutianus P. Mutij frater, quem Cic. iuris cõsultorũ disertissimũ dicit. Post hos Q. Mutius P. filius pot. Max. ius ciuile redegit in libros xviij. Mutij auditores fuerũt cõplures, præcipue

Appius Claudius Centunanus *R. literæ inuentor, quod nõ est uerisimile.* *Duæ tesseræ pacis & belli.* *Ius ciuile.*

auctoritatis Aquilius Gallus, Lucilius Balbus, & Sext. Papyrius. Dehinc Seruius Sulpitius, qui in caussis orandis post M. Tullium primum obtinuit locum, repræhensus à Q. Mutio, quod ius non intelligeret, iuri operam dedit sub Lucilio Balbo & Aquilio Gallo. Seruius cum in legatione perisset, po. Ro. statuā ei pro rostris erexit, quæ hodie extat in foro Augusti. Reliquit clxxx. libros de iure ciuili, Seruij disciplina manauerūt Alphenus Varus, C. Flauius, A. Ofilius Titius Celsus Aufidius Gura Aufidius, Mamusa Flauius priscus, G. Atteus, Antistius Labeo primus. P. Celsus. Libri digesti fuerunt ab Aufidio Mamusa. Ex his Alphonus consul fuit & Ofilius Eq. ordinis, qui edictum prætoris diligenter primus cōposuit.

Aedictum prætoris.

Fuit eodem tempore Trebatius Cor. Maximi auditor, A. Gasellius, Q. Mutius Vollusi auditor Quæstorius. consulatum enim renuit offerente Augusto. Ex his Trebatius, peritior Casellius eloquentior, Ofilius utroq; doctior. Deinde Elius Tubero, qui postquàm accusauit Q. Ligarium, nec obtinuit apud C. Cæsarem, à causis agendis ad ius ciuile transijt. Cicero Ligarium defendit oratione satis pulcherrima. Post hunc Atteius Capito, qui consul fuit Ofilij imitator, annum sic diuisit, ut Romæ sex mensibus cum studiosis esset, & totidem in cecessu in conscribendis libris, ideo reliquit uolumina xl. Labeo ingenij qualitate & fiducia doctrinæ, qui etiam præ cæteris operam philosophię dederat, plurima innouare instituit. Atteio Capitōi Massurius Sabinus successit, Labeoni Nerua, qui fuit Cæsari familiarissimus. Massurius Sabinus eques Ro. publice primus scripsit. Hoc beneficiū à Tiberio Cæsare dare cœpit. Nam ante tempora Augusti publice respondendi ius à principe non dabatur. Sed qui fiduciam suorum studiorum habebant consulentibus respondebant, neq; responsa utiq; signata dabant. Sed plerunq;

Ius respondendi publice.

iudicibus

iudicibus ipsi scribebant, aut testabantur qui illos consulebant. Primus diuus Augustus, ut maior iuris auctoritas haberetur, constituit, ut ex auctoritate eius responderent, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit, & ideo optimus princeps Hadrianus, cum ab eo uiri prætorij peterent, ut sibi liceret respōdere, respondit eis, hoc nō peti, sed præstari solere. Et ideo si quis fiduciam sui haberet, delectari se populo, ad respondendum se præstaret. Igitur Sabino concessum est à Tiberio Cæsare, ut populo responderet. Cui cum amplæ facultates nō essent, à suis auditoribus substetatus est. Sabino successit Cassius Longinus, natus ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Seruij Sulpitij. Is & consul fuit cum Cratino sub Tiberio, à quo propter auctoritatem ciuitate pulsus fuit, & ab Imper. Vespasiano reuocatus diē obijt. Neruæ successit Proculus, fuit & eo tēpore & Nerua alius, & alius Lōginus eques Ro. & prætorius. Sed Proculi auctoritas maior fuit. Nam & qui successere, partim Proculani, partim Cassiani appellati sunt, quę origo à Capitone & Labeone cœperat. Cassio Celius Sabinus successit, qui plurimum sub Vespasiano potuit. Proculo successit Pegasus, qui sub Vespasiano præfectus urbis fuit, Celio Sabino Priscus Iabolenus, Pegaso Celsus, Celso patri Celsus filius, & Priscus Neratius qui utriq; cōsules fuerunt: Iaboleno Prisco Eburnius Valens, & Tuscianus, item & Sabinus Iubianus.

Proculani. Cassiani.

POMPONII LAETI DE SACERDOTIIS, ET PRIMO DE PRIMA RELIGIONE APVD LATINOS.

Faunus antiquissimus omnium regum in Latio fuit. Aboriginibus imperauit, homines more ferarum uiuentes in mitiorem uitam redegit, lucos sacrauit, lo-

Faunus. Aborigines.

C

cis & urbibus nomina dedit, ædificia erexit, templa ædifi
cauit, quæ ideo à Fauno fana dicũtur, quod pontifices sa
crando illic fantur. Faunus in Latio cultum deorum in
stituisse fertur. Quidam scribũt ante Faunum imperasse
Ianum & cultum deorum demonstrasse. Fauni soror Fa
tua uaticinatrix, ab ea uates Fatuarij dicuntur, hæc tradi
tur mulierũ castissima, ideo eam Romani bonam deam
appellauere, cuius templum est in saxo Auentini mõtis,
unde ingressus uirorum prohibetur, & ei fœminæ tantũ
sacrificant.

Fana. Ianus. Fatua. Fatuarij. Bona dea.

DE LVPERCIS.

Lupercalia sacrificia ad expiãdos Manes fiebant, gre
ce Lycea dicta à Pane Lyceo numine Arcadico, quẽ
Romani uocant Inuum, & idem putatur esse Fau
no. Lyceo sacrificat in spelunca quæ sub Palatino monte
est. Mensis quo hæc sacra fiunt, Februarius à februando,
id est purgando dicitur, & dies Lupercaliorum februata.
Euander ex Arcadia hoc solenne in Latium tulit, & insti
tuisse fertur, ut nudi iuuenes Lyceum Pana uenerantes,
per lusum atque lasciuiam currerent, hoc primum ludri
cum, id est Lupercal Romulus accepit, dictum uidetur
à Lyceo, quia lycos est, inde Lupercal. Scribũt aliqui à lu
pa nutrice Romuli ac Remi. Nam ab eo loco solenne in
cipit, ubi lupa lac uagienti præbuit, aut à capris, ut sit lue
re, id est purgare per capras, capræ in eo sacrificio mactan
tur, aut quod Pan lupos arceat. Tradit & alia causa, qua
re nudi Luperci, aut quod Faunus per uestes ab Hercule
delusus fuerit, & meminit Ouidius. Aut qđ cæso Amu
lio Rom. & Remus fœdati uultus in sanguine, nudatis
gladijs, & uestibus succincti, ab Alba usq; ad ficum Ru
minalem cucurrerunt. Vnde seruatur in Lupercalibus,

Lupercalia. Lycea. Pan. Iunius. Februarius. Euander. Februata dies. Pan Lycæus. Lupercal. Luere.

nobiles adolescentes faciem sanguine sibi fœdant, & alij
accurrunt, cum lana lacte madida tabũ abstergentes. Aut
quod cum Romulus in palestra esset, nudus latrones inse
cutus fuerit, & uotum Pani Lyceo fecerit. Sed ego uerius
puto uel à Lycæo uel à lupa. Ideo Romani in Lupercali
bus canem immolant, quoniã naturaliter canis lupis ad
uersatur, ob quod Romulus lupæ nutrici gratias habere
uidetur. Luperci tergora capris eripiunt, & succincti dis
currunt circũ antiquum oppidum, id est palatium, occur
rentes corijs uerberant. Fœminæ ultro obuiam occurrũt,
facilem partum sperantes.

Canis imolatur. Antiquum oppidum.

DE POTITIIS ET PINARIIS.

Victor Hercules, ceso Gereone Chrysauri filio in Eri
tra, quæ est insula oceani Hispani, abacto nitidarũ
boum armẽto, in Latium uenit, & prope Tyberim
loco herbido procubuit, ut læto pabulo reficeret boues.
Cacus latronum princeps eximias boues duas caudis in
speluncã traxit. Hercules somno excitus lustrato grege,
cum partem abesse numero sensit, omnia circuit, aduersa
uestigia comperit, confusus nouitate rei, ex loco infesto
agere armentũ cœpit. Cum actæ boues desiderio relicta
rum mugissent, reddita fuit e spelunca uox, quæ Hercu
lem conuertit, inuenta fraude, Cacum neci dedit. Con
cursus trepidantium pastorum aduenam reum cædis fa
ciunt apud Euandrum, qui miraculo literarum, inter ru
des artium homines ea loca tum regebat. Is intuens habi
tum, formamq; uiri, rogat, qui uir esset, ubi nomen pa
tremq; ac patriam accepit, quia sic Carmentis mater eius
uaticinata fuerat, extemporalem aram Herculi erexit, iu
uencum indomitum mactauit.

Inde seruatum est, ut quot annis Ro. bouem indomitũ
Herculi immolent, & Hercules epulum populo dedit, sa

Hercules. Cacus. Ara extemporalis.

Potitij. *Pinarij.*

crum fieri uoluit à Potitijs & Pinarijs, quæ tum familiæ maxime inclitæ ea loca incolebant, forte euenit ut Potitij præsto essent, hisq; exta apponeretur, & Pinarij, quia tardi fuere, extis adesis ad cætera uenirent dapem, Potitij ab Euandro edocti, antistites sacri eius diu fuerunt, postea cũ interijssent, empti de publico serui, officium exercuerunt ara ab Euandro erecta, cui Hercules decimas soluit, maxima uocatur, & proxima est foro boario, ubi ex uoto decimæ fiunt. Tradũt qui uelit diues fieri, Herculi decimas soluat, hinc opes M. Lucullij factæ memorantur, & ipse Hercules thesaurorum deus putatur.

Hercules thesaurorum deus

DE FRATRIBVS ARVALIBVS, QVI primi fuerunt filij Laurentiæ.

MAssurius Sabi. qui tẽpore Augusti fuit, xij. suscepisse liberos Accam Laurentiã, scribit, ex quibus cum unũ extulisset, grauiter indoluit. Romulus in demortui locũ se dedit, & ita nutricem pientissime consolatus est. Ab hoc numero duodenario, aruorum sacerdotes xij. esse uoluit, & ut Plinius ait, se inter liberos Accæ Laurentiæ fratrem duodecimum appellauit. Fratres aruales hi nominati sunt, qui sacra publica faciunt, propterea ut fruges ferant arua, à feredo igitur & aruis, ut Varro scribit, fratres aruales dicti sunt. Laurentiam in eo sacerdotio dedisse Romulo spiceam coronam pro religiosissimo insigni, quæ uitta alba colligaretur, & item Plinius ait.

Acca Laurẽtia *Fratres aruales* *Corona spicea.*

DE AVGVRIBVS.

AVgurãdi ars antiquissima, à Chaldæis ad Græcos, apud quos Amphiaraus, Mopsus & Calchas summi augures habiti sunt, à Grecis ad Etruscos uenit, ab Etruscis ad Latinos, & ipse Romanorũ pater Romu-

Augurandi ars

lus, augur fuit: & ideo instituit magistratus augurijs confirmari, & posteri non nisi augurio iubente res inchoabant. Locus augurij templũ erat, augur uersus orientem sedebat, capite uelato, lituum dextra tenens manu, id est, curuum baculum, quo in cœlo regiones diuidit, & quæ auguria ueniunt, prædicit, si leua fuerint, quia aliena parte septentrio est, felicia pronunciat, pars illa orbis propter altitudinem prospera putatur, & à dextra parte meridies, quia depressus est, infelix. Dionysius meminit antiquam augurandi obseruationem fuisse etiam Aborigin. Nam Ascanius priusq; aciem contra Mezentium educeret, augurium captauit, & ubi micare à sinistris fulgur conspexit, pugnauit & uictor fuit, tantaq; ueneratio & utilitas inde fuit, ut collegium augurum constitutum sit, & primum tres augures fuere à tribus tribubus, sic instituisse Romulum tradit Dionysius, inde quattuor creati. Tandem plebe per tribunos id petẽte: quinq; plebei augures, quattuor patricijs adiuncti fuere, & sic numerus nouem augurum mansit.

Romulus augur *Locus augurij.* *Ascanius augur* *Collegium augurium.* *Augures nouẽ.*

DE VESTALIBVS.

VEstalem ignẽ cũ penatibus Aeneas è Troia in Latium tulit, condito lauinio, Vestę ædem sacrauit, postea Asca. condita alba, templum Vestę ędificauit in montis Albani parte, cui suberat lucus, in quo Ilia Romuli mater à Marte cõpressa fuit. Vestæ ministrę uirginitatem seruabant. Mos latinis fuit, generosas & castas uirgines legi. post multos annos Romulus castissimas sacrorum ceremonias constituit, & ut Varro tradit, sacerdotes lx. qui publica sacra facerent, per tribus & curias creauit à uirtute & generis nobilitate. Inopes & aliqua parte corporis debiles sacerdotes fieri uetuit, & in cu

Ignis Vestalis. *Aedes Vestæ.* *Vestæ templũ.* *Sacerdotes lx.*

rijs singulis Vesta quædã cõmunis erat. Templũ Vestæ Romulus condidit, & uirgines legit. Sed freq̃uẽs opinio Numam Pompiliũ asserit. Credibile est Romulũ, qui in omnibus curijs Vestam esse uoluit, separatim non posuisse. Rotunda effigie templum est inter Capitoliũ & Palatium, in eo seruabatur perpetuus ignis, quia Vesta nihil aliud est, q̃ purus ignis. Sunt qui dicant alia quædã arcana in eo templo seruari, etiam pontificibus & uirginibus ignota: quidã duo dolia non magna, alterum clausum, alterum apertum, in quo nihil est. Quidam aiunt a uirginibus Palladiũ seruari cœlo lapsum in Troia. Primæ uirgines a Numa electæ quatuor fuere, Gegania, Berenia, Camilla, Tarpeia, duæ aliæ a Seruio Tullo additæ. Castitas uirginibus terminata est in xxx. annos, x. primis discit uirgo, totidẽ ministrat, in reliquis docet, post xxx. annos nubendi potestas ei fit. Prima quæ capta fuit Amata traditur, ideo cum capitur uirgo, hoc nomen ei imponitur, capitur a pontifice non minor annis vi. & non maior x. & quæ nõ sit patrima & matrima, neue lingua, sensu auriũ diminuta, aliaue corporis labe, neq; filia serui, neq; eius qui domiciliũ in Italia nõ haberet. Vestalis si petulanter deliquisset, uerberabatur a pontifice, si incesta fuisset, hoc modo pœnas luebat: uincta efferebatur in Sandapila per medium forum usq; ad portam Collinam, ibi tumulus impudicarũ Vestaliũ inter muros imminet, in quo est parua cauerna subterranea, ad quam per foramen scalis descenditur, in qua est stratus lectulus, & lucerna ardens, & panis, lac, oleum ne fame intereat, deponitur hic Vestalis, soluitur uinclis, capite uelato in suppliciũ ducitur, pontifex cũ arcana quædam pronunciauit, cum sacerdotibus terga uertit, & statim impudica Vestalis in cauernam demittitur, inde fossa tellure repletur usq; ad operculum, ea die silentium & mœstitia in tota urbe est.

Arcana in templo Vestæ. *Duo dolia ibidẽ* *Palladium.* *Amata* *Vestalis delinquentis pœna.*

DE FLAMINIBVS.

Dialem & Martialem flaminem Romulus instituit, Numa Quirinalem addidit. Varro asserit, Numã Pompilium flamines singulis dijs fecisse, & ab eis nomina dedisse, hinc resp. hominibus in cœlũ relatis, flamines decreuit. Dicti aũt flamines sunt ex gestatione pileorum, quasi pileamines. Quidã aiunt ab infulis quas flamæ uocãt, eorum ministri Flaminij dicti, & ministræ flaminulæ. Sed rerũ omnium sacrarũ administri Camilli dicebantur, flamines non poterant nisi singuli singulis dijs attribui, & nephas sine pileo erat egredi domum.

Dialis. *Martialis.* *Quirinalis.* *Flamines.* *Flaminij.* *Flaminulæ.* *Camilli.*

DE SALIIS.

Salios xij. Marti gradiuo legit Numa, dicti a saltãdo, quod facere in comicijs quotannis & solent & debẽt, uersicoloribus tunicis ornati, per urbem tripudiant, succincti æneis baltheis. Togas fibulis nectunt, quas trabeas uocant, gestant in capite pileos, quos uocant apices, gladio accinguntur, dextra lanceam aut uirgam ferunt, læua Thraciam peltam, cœlestia sunt arma, ancile uocant, id est circum excisum, id fertur cœlo lapsum in regiã Numæ, anno octauo regni eius. Lege cautum erat, ut Salij liberi essent, & indigenæ, & quorum uterq; parens uiueret & cuiuscunq; fortunæ, pauperes aut diuites. quidam Salios appellatos putant a uiro Samothrace seu Mantineo, nomine Salio, qui saltationẽ in armis inuenit. Traditur Tullus Hostilius duplicasse numerum Saliorum.

Salij unde. *Trabea.* *Apices.* *Ancile.* *Salius.*

DE FOECIALIBVS, ET PATRE PATRATO.

Foeciales dicti, q̃d fidei publicæ inter populos præerant, nam per hos fiebat, ut iustũ cõciperetur bellũ, & ut fœdere fides pacis cõstitueret, eos instituisse dicit

Fœciales unde.

Numa, cum indicendum esset bellũ Fidenatibus, hi mittebantur priusq̃ conciperetur bellum ad res repetendas, & si non impetrabant, bellum indicebant. Fæcialiũ unus qui patrẽ patratum faciebat, ex ipsis fecialibus electum, sacris uestibus ornatus, ad auctores iniuriarum procedebat, priusq̃ urbem intraret, Ianitorem uel alium qui obuiam fuisset alloquebatur quibusdam imprecationibus, in de in forum pergit, illic disserit quã causa uenerit, tempus ad consultandum dat xxx. dierum, si per hos dies res infecta maneret, diis cœlestibus Manibusq̃ inuocatis, abit, & ad senatum refert, & ubi in senatu quod iustum piumq̃ esset, actum erat, fecialis bellum indicebat, fecialiũ sacra nefas uiolare erat, nam Fabius cũ ea uiolasset, urbs Ro. à Gallis Senonibus euersa fuit. Dicuntur feciales à fœdere faciendo seu feriendo, Pater patratus à patrando, id est, sanciendo fœdere, quidam à fecialibus creabatur, qui tantum in fœdere sanciendo præerat, ut quidam scribunt.

Pater patratus unde.

DE PONTIFICIBVS.

Pontifices

Pontifices è patribus legit Numa, & ex his põtificem maximum fecit Martium Martij F. & ipsius Numę generum, cuius scitis omnia publica priuataq̃ sacra subiecit, ut esset quò consultum plebes ueniret, & idem nec cœlestes modo ceremonias, sed & iusta funebria & prodigia quomodo susciperentur, & curarentur. Defuncto pontifice maximo, alius eligebatur non à populo, sed ab ipsis pontificibus. Appellati sunt, ut Varro scribit, & Dionysius: à ponte sublitio, quem reficiebant, quare uidentur à Numa non pontifices, sed sacerdotũ principes nominati, & inde regnante Anco. Mar. quãdo sublitius pons factus fuit: à ponte põtifices appellati, & ideo sacra ab eis trans Tiberim non mediocriter ad pontem fiunt, Scęuola pont. max. dicebat põtifices dici à posse & facere

Pont. max.

Sacerdotũ principes.

Pontifex unde.

DE ROM. SACERDOTIIS.

Quidam scribunt ab eo, quod potentia sacra perficiant.

DE REGE SACRIFICVLO.

Rex sacrificulus.

POstquàm Romani iam liberi, extincto regio nomine, consules crearunt, necubi desiderium regis esset propter quædam sacra publica, quæ reges faciebant, Regem sacrificulum constituerunt, & è patribus elegerunt C. Manium Papyrium id & sacerdotium pontifici subiecere, ne nouæ libertati additus nomini honos officeret, is Papyrius quietis studiosissimus fuit. idem fuisse memoratur, qui leges Numę, ab Anco Martio, in tabulis quernis inscriptas, rursus in publicum traduxit.

DE GALLIS MATRIS DEVM.

Galli sacerdotes. Cybele. Atys.

GAlli sacerdotes Cybelis matris deum sunt & semimares, id est castrati, ab eo quod dea puerum Phrygium amauit Atym, cui præcepisse dicitur, ne concũberet, ille cum Pagaratide nympha coiuit sub arbore. Cybele excisa arbore uicta est, puer ad Dindyma aufugit & uirilitatem sibi amputauit. Ideo Cybele castratos sacerdotes habere maluit. Secundo bello Punico Romam etiam deportatus est sacer lapis, quem matrem deum incolę dicebant, per legatos tres, M. Valerium, L. Eminium, & C. Cecilium Galbam: & quæstores duos, Cn. Tremelliũ Flaccum, & M. Valer. Falconem: receptaq̃ fuit dea Romæ à sapientissimo homine P. Scipione Nasica, qui à senatu in tota ciuitate uir optimus iudicatus fuit, & quod magis admirabile est, adolescẽs erat. Galli dicti sunt à gallo flumine Phrygiæ, testes samia testa sibi amputãt. Rhea nominatur Cybele à monte Cybelo, quæ est pars montis Dindymi.

Sacerdotes castrati. Mater deum. Nasica uir opt. Galli. Rhea.

DE DVVMVIRIS ET DECEM uiris sacrorum.

D

Duumuiri ſacrorum. Libri Sibyllini. Decemuiri. Quĩdecimuiri.

DVumuiri à Tarqui. ſuperbo inſtituti fuerunt, qui ſoli inſpicerent libros Sibyllinos, deinde cum plebes creari ex ſuis inſtaret, ex plebeis & patritijs creati decem, & inde xv. qui libros inſpicerent. ſic & duumuiri ad decem uiros & xv. uiros res deuenit, & aliquãdo data cura corrigendorum faſtorum fuit, hi Februarium qui ultimus erat, poſt Ianuarium poſuerunt.

DE EPVLONIBVS.

Epulones. Epulare ſacrificium.

VEteres pontifices (ut ait Cicero) propter multitudinem ſacrificiorum tres epulones eſſe uoluerunt, ut ludorum epulare ſacrificium facerent, id ſacerdotium antiquum fuiſſe conſtat, ſed de ætate nondũ legimus, numerus auctus fuit, duo additi, & quinq; fuere epulones, & poſtea theatralium ludorũ atq; Circenſium ambitione ſeptem fuiſſe epulones leguntur.

DE TITIIS SODALIBVS.

Titij ſodales.

SOdales Titij ſacerdotes extra urbem habitabãt, & in tugurijs certa auguria ſeruabant, quoniã ad id deputati à pontificibus erant, nomen inditũ eſt ab auibus.

POMPONII LAETI DE LEGIBVS LIBELLVS.

Ius naturale. Ius gentium. Ius ciuile. Ius publicum. Ius priuatum

IVs pluribus modis dicitur, Naturale, quod eſt cõmune omnibus animalibus. Ius gentium, quo gentes humanæ utuntur. Ius ciuile, quod ex legibus, plebiſcitis, ſenatuſconſultis, decretis principum & auctoritate prudentium uenit. Ius publicum in ſacerdotibus & magiſtratibus conſiſtit. Ius priuatum ad ſingulorum utilitatem.

Ius. Lex.

Ius etiã dicitur locus in quo ius redditur, ut meminit Paulus de lege & de legis origine. Lex (ut Chriſip. diffinit) eſt diuinarum & humanarũ rerum noticia, lex dicitur roga-

tio & obnunciatio. Lex donum eſt dei, dogma hominũ ſapientum, coercio uoluntatis. Legis uirtus eſt imperare, uetare, punire, permittere. Lex eſt ęternum quoddã quod uniuerſum mundum regit, imperandi, prohibendiq; ſapientia: ex hac lege lex noſtra eſt, ratio menſq; ſapientis æqualis dei eſt lex, cõſtatq; ad ſalutem ciuium ciuitatũq; incolumitatem, uitamq; omnium quietam & beatã. Igitur ubi lex non eſt, quies & beatitudo non eſt, & apud illos antiquiſſimos mos ſapientum lex erat, id erat quoniã antiquitas proxime accedebat ad deum. Lex magiſtratibus præeſt, & magiſtratus populo. Optime putat Cicero magiſtratum eſſe legem loquentem. Imperandi & obtemperandi modus debet eſſe. Nam & qui bene imperauerit, aliquando obtemperet neceſſe eſt, & ipſi mortales non ſolum obtemperare & obedire magiſtratibus debẽt, ſed eos colere atq; diligere. Poteſtas eſt facultas à populo ſeu principe publi. data. Magiſtratus dici cœptus eſt, cum à populo creatus fuit magiſter populi, id eſt dictator. Prima fertur Ceres dediſſe leges mortalibus, poſtea ipſi ſapientes, Phoroneus Argiuis dedit, Moyſes cœlo lapſas Hebræis, Aegyptijs Mercurius, Draco & Solon Athenienſibus, Minos Cretenſibus, Lycurgus Lacedæmonijs, Turijs Charundas, Romanis Romulus.

Legis uirtus. Poteſtas. Magiſtratus. Primi legum latores.

De Allia & Fuſia LL.

ALlia & Fuſia lege reſiſtebatur pernicioſis legibus in ciuitate, quæ ideo erant propugnacula & muri ocij & trãqllitatis. Sed Clodius Tr. Pl. L. Piſone, & A. Gabino coſſ. iiij. leges tulit, ex his ſecũda fuit, ne quis ꝑ eos dies quibus cũ populo agi liceret, de cœlo ſeruaet & quarta cauebat, ne quẽ cẽſores in ſenatu legendo ꝑterirẽt, neue quem ignominia afficerent, niſi qui apud eos accuſatus, & utriuſq; cẽſoris ſentẽtia damnatus eſſet, hac lege

diminuta est censura, quæ est magistra uitæ & modestiæ.

De Lege Aurelia.

Aurelia lege communicata sunt iudicia senatui equitibusq; Romanis, & Tribunis ærarijs, eam tulit Aurelius Cotta prætor.

De Lege Acilia.

Manius Acilius Glabrio legem tulit de pecunijs repetundis, in qua ne comperendinari quidem reum sinit. L. Piso primus tulit legem de pecunijs repetundis.

De Lege Annonia.

Clo. Tr. Pl. De annona legem tulit, ut frumentũ quod antea senis ęris ac trientibus in singulos modios dabatur gratis daretur.

De Lege Annaria.

Ea lex annorũ modum finit, quibus magistratus capiendi potestas sit.

De Lege Aterma.

Hæc lex cum mos priscus fuisset irrogandæ multæ per magistratus ouis aut bouis nomine, ouis ęre deno, bouis ære centeno diffiniuit.

De Lege Aquilia.

Aquilia lex ab Aquilio lata, de dolo malo, de fraude, de deceptione, de simultate.

De Lege Cincia.

Cincius legem tulit qua cauetur antiquitus, ne quis ob causam orandam donum pecuniamue acciperet.

De Lege Calphurnia.

Calphurnia lege pecuniaria pœna inter alias pœnas adiecta fuit, L. Calphurnius Piso eam tulit.

De Lege Cornelia.

Cornelia lege cauetur, ne quis legatis ex terrarũ nationum pecuniam expensam ferret. A. Cornelius cõs. tulit, & idem aliam tulit, Ne quis in senatu legibus solueretur, nisi ducenti affuissent, ne quis cum solutus esset intercederet, cum ea de re ad populum ferret. Tulit idem Cornelius, ut prætores edictis suis ius dicerent. Lex est à Cornelio quodam lata, ut homines, qui parricidij causa telo accincti sint, gladio persequantur.

De Lege Cassia.

A Cassio Longino lex lata est Cassia, qua populus per tabellam suffragia ferret. C. Mario. C. Flacco coss. alia ab eodem lata, ut ille quem populus damnasset, cuiue imperium abrogasset, in senatu non esset.

De Lege Fabia.

Fabia lex à Fabio lata, à qua adiecta pœna est illis qui deducunt & sectantur candidatos in comitia.

De Lege Frumentaria.

Frumẽtaria lex à Sempronio Gracccho lata est, qua frumentum è publico distribueretur Po. Ro.

De Lege Falcidia.

Lege Falcidia, à Falcidio lata, cauetur, ne plus dodrãte legare liceret, ꝓpterea qđ multi hæreditatem recusabãt.

De Lege Flauia.

Flauius legem tulit de plagiarijs, cum quis dolo seruũ aut pecus à domino, & filium à patre subtrahit.

De Lege Gabinia.

Gabinius legem tulit, qua bellum Cn. Pompeio magno contra Pyratas datum est, contra C. Trebelli Tr. Pl. intercessionem.

De Lege Iunia.

Iunius Siluius cõs. cum Q. Cecilio Metel. legem tulit bello Cimbrico, quod diu praue & infeliciter gestum est, propter diminuta militiæ stipendia.

De Lege Iulia.

Iulia lege puniuntur adulteri. Idem Iulius Cæsar legẽ tulit de peculato in eos qui remp. uel sacra furati sunt, uel furantibus auxiliati sint, uel furta scientes susceperunt.

De Lege Lectoria.

Cum adolescentes in contractibus circumueniri solerent, Q. Lectorius pœnam deceptoribus adiecit.

De Lege Licinia

P. Licinius Crassus orator, & Q. Mutius Sceuola pon. max. legem tulerunt de regũdis ciuibus, ut in suæ quisq; ius ciuitatis redigeretur, cum multi Itali cupiditate ciuitatis Ro. tenerentur.

De Lege Manilia.

L. Manilius legẽ tulit, ut quando res à nobilibus aduersæ gestę fuerant, illi ad magistratus gerendos admitterentur, quorum maiores in Romana republica magistratũ non exercuissent, huiusmodi autem noui appellantur.

Otho Tr. pl. legem tulit, ne quis cũ ordine equi in spectaculis sederet, nisi sestertia quadraginta possideret, qđ si contingeret quisquis esset, siue ingenuus siue libertus, inter equites spectare liceret in gradu xiiij.

De Lege Oppia.

Oppus legẽ tulit, ne superfluo ornatu mulieres Romanæ uterentur, neue pilentis, id est rhedis pensilibus uterẽtur, neue plus uncia in auribus appenderent.

De Lege Hortensia.

Hortensius legem tulit, ut eo iure quo populus statuisset, & omnes quirites tenerentur.

De Lege Pompeia.

C. Pompeius Strabo lata lege, ueteribus incolis transpadanis ius Latij dedit, quod cæteræ Coloniæ latinæ habebant, ut petendi magistratus & ciuitatis Romæ ius adipiscerẽtur. Cn. Pompeius magnus legem tulit, ut quæstor suffragio populi ex his qui cõsules fuerant crearetur. idem Pompeius legem tulit, qua asperrima pœna parricidas afficit. Si quis parentis, filij fata pręparauerit clam & palàm, insutus culeo cum cane & gallo gallinaceo, & uipera & simia, in mare aut in flumen proijceretur.

De Lege Papia.

Lege Papia prohibẽtur peregrini uti urbe Ro. M. Plo

tius Sil. Tr. pl. Cn. Pompeio Strabone & L. portio Cato. conss. legem tulit, ut singulæ tribus, quinos, denos ex eo numero suffragio crearẽt, qui eo anno iudicarent. L. Roscius Otho cos. legem tulit, ut in theatro equitibus Ro. ordines xxiiij. spectandi gratia darentur.

De Lege Satyra.

Satyra lex est, quæ uno rogatu multa & uaria comprehendit.

De Lege Scantinia.

P. Scantinus legem tulit, qua puerorũ concubitores graui supplicio afficiuntur.

De Lege Tutelari.

Legẽ Tutelari cauetur, ne quis tutor per simulationem pupillum fraudet.

De Lege Variana.

Q. Varius Tr. pl. legem tulit, ut quæreret de his, quorum ope consilioue socij pop. Ro. arma sumpsissent.

De Lege Voconia.

Voconius legem tulit, ne quis census, hoc est pecuniosus hæredem unicam relinqueret filiam, erat autẽ census ille, qui C. milia in professione detulisset.

De Lege Valeria.

Valerius Publicola legem tulit, ut nulli magistratui liceret corpus Romani ciuis indicta causa condemnare, liceretq; damnatis ad populum prouocare.

Hæc habui M. Pantagathe, quæ de magistratibus & sacerdotijs & legibus compendiose scriberem, ut ex eo compendio aliqua ad nostros utilitas perueniat, & ita depinxisse opinor, ut ante oculos uelut in tabella posuerim, scribant alij diffusius, Pomponio satis est placere suo.

Pomponij Læti de Romanorum Magistratibus, Sacerdotijs, & Legibus ad Pantagathum,

F I N I S.